

dum impellantur. Alter error est, quando *eruditionem* externam, & subsidia in universon omnia, quæ alias e *philologia & disciplinarum studiis* petenda nostri doctores exigunt, alto supercilio contemnit. Quod primum errorem attinet, falsitas ejus ex iis, quæ §. 8. sub finem in primis dicta sunt, luce meridiana clarius elucet. Ostendi ibi, sacerdotium spirituale, quod extra controversiam omnibus renatis competit, & de quo agit apostolus Heb. XIII, 15. 16. Eph. V, 19. Col. III, 16. maxime distinctum esse a ministerio ecclesiæ, quod tanquam in limpidissimo speculo a Paulo depictum est in epistola utraque *ad Timotheum*, nec non in ea, quam *ad Titum* dedit. Regeneratio facit sacerdotem spiritualem, non autem, qui renatus, statim est minister verbi. Accurate Hipponensium Episcopus Augustinus officium ministri ab officio credentium distinguit Ep. 184 ad Valerium, ubi agit de *presbyteris, Episcopis & Diaconis*, munere suo partim *perfunctorie & adulatorie*, partim juxta Dei beneplacitum fungentibus, & meditationem illam obsignat his verbis: *si pro se, fratres, unusquisque vix possit rationem reddere, quid de sacerdotibus futurum est, a quibus sunt omnes animæ exquirendæ?* Necessitas autem ministerii publici, & vocationis mediatae, nec non insufficientia vocationis cujusdam internæ, satis demonstrata controversia superiori.

§. XII. Alterum auctoris epistolarum errorem, quem fovet de eorum qualitate, qui ad ministerium S. vocandi sunt, observamus, quando in illis improbat eas dotes, quas, *ab arte petitas* requirunt Theologi nostri. Paulus 1. Tim. II, 24 episcopum vult esse *διδασκλικον*, *aptum ad docendum.*